



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita B. Francisci Xaverii

Torsellini, Orazio

Coloniae Agrippinae, 1610

XVIII. Cultores animorum quales optaret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42323

nim confitentes intentiùs excuti posse?
 qui eorum odiis, fraudibus, vitiis adhi-
 beri remedia, nisi per otium curarentur?
 An verò dubium esse, quin confessio vna
 rectè instituta multis cursim peractis præ-
 ferenda sit? cùm præsertim confessio adi-
 tum aperiat ad Sacrosanctum Eucharis-
 tiæ Sacramentum. Postremò monebat
 Confessarios, vt, sumpto spatio, in audi-
 tas ab se confessiones inquirentes vide-
 rent intentiùs, ecquid in delictis aliorum
 expiandis ipsi deliquissent, &, quæcunq;
 in alienis peccassent confessionibus, ex-
 piarent suis, eaque delicta in posterum
 summa vi corrigere niterentur. Hoc
 quippe studium ad rectè atque vtiliter
 Confessarij munus obeundum maximo
 adiumento futurum.

CAPVT XVIII.

Cultores animorum quales optaret.

SO C I O S Ethnicis conuertendis neo-
 phytisq; erudiendis operam daturos
 non modò lectissimos requirebat, sed
 huic rei maximè deditos; vt nihil quam-
 uis speciosum ac præclarum, tanta præ-
 ferrent negotio, quo nihil superis gratius,
 mortalibus vtili⁹ reperiretur. Nec magni-
 ficus

ficus solum hortator erat, sed etiam au-
 ctor; plus rebus ostendens, quam verbis
 præcipiens. Namque, ut suo loco demon-
 strauimus, Gentilium conuersione atque
 institutione in omni vita ipsemet nihil
 habuit antiquius. Quin etiam Socios,
 qui ex India aut ex Lusitania ad eum ve-
 nissent, ita vocabat in diuini huius mini-
 sterij Societatem, ut spectatissimo cuiq;
 eam prouinciam præmium daret labo-
 rum. Primarios quippe viros potissimum
 tanto muneri præficiebat, auctoritatē se-
 quens Apostolorum, qui *cum audissent*
recepisse Samaritiam verbum Dei, mise- Actor. 13.
runt ad eos Petrum & Ioannem, Apосто-
 lorum scilicet principes. Quocirca cen-
 sebat ad Apostolicum munus deligendos
 viros egregia diuque spectata fide, virtu-
 te, cōstantia, sanctitate: tū quia tales utiq;
 viros res ipsa postularet; tū verò quoniam
 vsu doctus senserat, eam prouinciam esse
 grauissimis Satanae tētationib⁹, molestiis,
 ærumnis expositam. Proinde in eiusmodi
 Dominicæ vineæ operariis prudētiā ma-
 gis ac sanctitatē quam scientiam doctri-
 namq; expetebat, ratus ad tot tantasq;
 difficultates superandas necessariam pro-
 fectō esse virtutem; ad Ethnicorū autem *Plg momentē*
 conuersionem plus momenti sanctimo- *ti in san-*
 niam facere quam doctrinā. Quòd si vir- *ctimonis*
 tutem

*est quam
in doctri-
na.*

*Peregrina
lingua ad-
discenda
studium.*

tutem decoraret eruditio, tū verò aiebat egregios perfectosque Euangelij præcones existere, Iaponiæ maximè opportunos, cæterisque locis vbi acria barbarorum ingenia subtilibus interrogationibus Christianam religionem solerter explorant. Cæterum in omnibus Ethnicorum cultoribus requirebat ingenium, facultatem, ac studium peregrinæ linguæ addiscendæ, haud dubius sine sermonis commercio in barbaris ad Christum aggregandis, nouisque Christianis institutendis, nihil admodum profici posse. Itaque Apostolos, prius quam gentes docere aggregerentur, diuinitus imbutos omnium facultate linguarum. Præcipuè optabat omnes ingenti animorum seruandorum cupiditate flagrare, nunquam vt eius rei prætermitterent occasionem, sed auidè arriperent vrgerentque. In neophytorum verò salutem atque institutionem strenuè insisti iubebat, infantes baptismo expiari, pueros erudiri catechismo, & ante omnia baptizandis infantibus incuriam vitari, obliuionemque, præcipiens; vt, quantum humana ope prouidere posset, nemo profusus periret sine baptismo, vnico puerilis ætatis auxilio. Suadebat quoque vt verbis rebusque neophytos conciliantes sibi, studerent ab eis parentum loco diligenti-
colli-

zoliq; . Sic enim naturâ comparatum esse, ut amor omnia æqu. boniq; consulat, nihilq; sit amanti difficile. Porro in nouis Christianis excolendis, non fortiùs quam perseverantiùs eorù perferrent vitia, infirmitatē sustinerent, frugemque sementis factæ, laborumq; (quamuis seræ spei) fructum velut boni Christi Domini agricolæ expectarent: haud ignari, *Qui seminant in lacrymis, in exultatione messuros.* Quòd si talibus initiò Christianis non vterentur, quales expeterent, ita se cū iis gererent, ut cum improbis filiis boni parentes: Dei que benignitate freti, qui hominū mentes suo demū tempore ad bonā perducit frugē nō diffiderent eos aliquādo tales fore, quales optarēt. Proinde nūquā desinerent illos omni studio colere, præsertim cū De⁹ communis omniū parens, quamuis læsus à nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat. Iam cum veteribus Christianis multum temporis esse conterendum negabat, ne fraudarentur noui. Quòd si officiosi illorum congressus vitari nequirent, ac sermones inferendos de rebus diuinis, atque ad animorum salutē pertinentibus: ut aut piis exculi monitis paulatim fierēt meliores, aut certè colloquiorum seueritatē auersati nostrū nos negotium agere sinerent

Perseuerantia in excolendis hominibus.

Psalin 125.

Inania officia quomodo elidenda.

in instituendis neophytis. Exiguos verò fruct⁹ cum hominum approbatione, maximis fructibus cum aliqua vel minima offēsiūcula potiores ducebat. paruos quippe fruct⁹ cum virtutis exēplo perceptos, & diurnos esse, & semp̄ augeri, contraque ingentes offēssione hominum vitiatos paulatim corrumpi atq; interire. Itaq; eos iubebat aduersus omnes facilitatem ac submissionem adhibere, *pacem*, vt ait Apostolus, *cum omnib. hominib. habētes*, contentionesque maximè cum religiosis viris ac Sacerdotib. omni ope vitantes. Et simul præcipiebat, vt facilitatis magis quã grauitatis memores, hilari lætoque vultu exciperent omnes, neminemq; omnino aspernarentur, vt *omnes Christo lucrifacerent*. Dictitabat etiã, qd boni virtus nō pariat, humanas artes haudquaquã parituras sine virtute. Proinde cauere diligenter, ne peruulgatâ hominum viâ dignitatem atque honorem aut appetere, aut appetere viderentur; neu suis dictis factisue ad humanam potius quã ad diuinã tenderent gratiam. Veram utiq; auctoritatē, egregiæ virtutis comitem, non hominum donū esse, sed Dei. Itaq; si quando homines ipsi per se humanis artibus (omisso cælesti præsidio, germanaq; virtute) quarant auctoritatem; diuino cōsili-

lio fieri, vt eam parare dum studēt, fundi-
 tus perdant. Ne scilicet vilia sint homini-
 bus dona cęlestia, sed haud secus, quā par
 est, expectentur è cęlo. Nā quibus in di-
 uinarū rerum procuratione, hominū gra-
 tia quā Dei potior sit, eos non tam diui-
 num honorē spectare, quā suum. Verū
 sacrilegam illam ambitionē demum in i-
 psorum ignominiam exitiumq. erupturā.
 Itaq. sibi quisq. prima esset cura futurūq.
 animum summa vi excoleret; deinde in
 alienorum culturam animorum verteret
 curas. Neq. enim alienæ salutis consultu-
 tum qui suam negligeret; neq. memorem
 fore aliorum, qui obliuisceretur sui: con-
 traq. facile euenire, vt, cui sua salus cordi
 esset, eius cura in aliorum quoq. redūda-
 ret salutē. Quocirca nullum diem rerum
 diuinarū meditatione & cōscientiæ exa-
 mine vacuū sinerēt præterire, & quotidie
 ecquid in diuino obsequio deliquissēt, ec-
 qua in re suo officio aut diuinis defuissēt
 conatibus, reputarent: secumq. cum suis
 mentibus circumspicerēt, quā multa per
 eos De^o ipsorū vitio efficere desineret po-
 tius, quā quid per ipsos efficeret. Alterū
 enim modestiæ absolutæq. virtutis incita-
 mentū esse, alterum superbiæ vecordiæq.
 diuina facta sibi vindicantis; qua enim ue-
 ro non aliam pestem perniciosiorem piis

*Puerorum
educatio.*

hominibus reperiri. Puerilis porro ætatis educationem præcipuū opus existimans, monebat vt Christianā doctrinā puerorum gregib⁹, quoad eius fieri posset, per se ipsi traderent, nec intermisso tam frugifero opere, neque aliis commisso. Ceterum neminem puerorum offenderent iritarētue, sed ad veniam faciles in leuioribus noxis coniuerēt, *remittētes minas*.

Ephes. 6.

vt monet Apostolus; quo scilicet timida ætas alacrius salubrē capesseret disciplinam. Aduersus Magistratus Præpositosq; Ecclesiasticos moderatione tenderēt, modestiaque: neq. vllis quamuis ingentibus eorum delictis atq. iniuriis lacessiti cum eis vllō modo susciperent similtates. Ferendo enim & dissimulando magis quam obsistendo superiores vinci; si minùs vt suam ipsi corrigant vitam, at certè vt rem Christianam minùs impediunt. Quocirca eos, quasi suorum conatuū ac laborum patronos, in fructus emolumentique partem vocarent, quicquid boni perceptum esset, id illis, secundum Deum, acceptum referentes: ita demum Christi vineæ operarios plus adiutorum defensorumq; (si fortè verbo aut facto ab aliis violarentur) aut certè minus aduersariorū habituros.

Misericordia opera.

Iam auctor erat, benignitatis humilitatisque ministeria non minùs sæpe quam liben-

benter exequendi; in valetudinariis, publicisq. vrbis custodiis, ægros ac vinctos officiis pietatis, corrigataque stipe, subleuandi; sed ita, vt simul corporibus animisque curandis opera præberetur, inimicitias sedando, odia restinguendo, tollendo lites, dissidentes ad pacem atq. amicitiam adducendo. His quippe caritatis officiis diuinum amorem in animis nostris accedi, aliorum animos ad similia excitari facta; Dei seruis, ad rei Christianæ propagationem, plurimum accedere fidei auctoritatisque. Præcipue verò temere obloquentium rumores contemnerent, qui sæpè timidorum conatus frangunt atque debilitant. Extat de ea re egregiū præceptum P. Gaspari traditum, quod tale est: Si tibi pia ministeria obeunti, vt fit, obtrectent improbi; de illorum vocibus non magno opere laborabis: ne quis animaduertat, te hominū vocibus à Dei obsequio absterreri, id verò laborabis. Nam quicumq; talibus in reb⁹ falsam infamiā sermonesque hominum extimescunt, mūdi veriùs quā Christi milites sunt, vtpote quos humanus respectus magis moueat, quàm diuin⁹. Ad vltimū illud tibi antiquissimū esse volo, vt memor te Societatis IESV membrum esse, omnib⁹ in factis dictisq; tali capite & corpore dign⁹ existas. Hisce

Obloquentium sermones contemnendi.

ex monitis facile apparet, non modò quã sedulò serioq̃. Franciscus socios exemplis pariter & præceptis ad omnẽ prudẽtiã ac sanctitatis excoleret laudem, verumetiã quã valde omnibus in rebus Xaverij & Ignatij sensus inter sese cõgruerẽt, quippe cùm eodem tẽpore (etsi infinito propemodum locorum interuallo disiuncti) Ignatius in Italia Sociis præciperet, Franciscus in India. Sed videlicet vnus atque idem Spiritus illa vtriq; dictabat, vtrobi- que Societatem ad certam formans disciplinam, cælestemq. ambobus prudentiam inspirans. Nihilo autem prudentior Xaverius in præcipiendo quã in regendo fuit. Quippe vbicunq. locorum esset, à Præpositis Societatis subinde omnibus de rebus certior fieri volebat; cunctisq. incommõdis non secus medebatur, ac si adesset præsens. Nam discedens imperabat eis, vt ad se certis temporibus literas mitterent, quibus literis Sociorũ tũ veterum, tum recentium numerum, genera, facultates exponerent; nimirum quibus virtutibus præditi, quib. doctrinis & artib⁹ exculti, quib. addicti ministeriis, quas ad res maximè nati aptiq. viderẽtur; quæ in vnoquoq. cupiditas conseruandorum animorum emerret, quos quisq. ferret fructus, quibus vrgeretur angoribus, quibus

*Xaverij
prudentia
in rebus om-
nibus sui
muneris
cognoscen-
dis.*

bus molestiis ac morbis tentaretur premereturq. Demum (adeò in rebus etiam minimis attentus erat, ac diligens) de domesticis famulis, ac seruis, de ære alieno, talibusq. rebus fieri se iubebat certio- rem: deque singulis vel personis vel rebus, ut- cunq. res posceret, per literas præcipie- bat. Nec mandasse contentus, quid facto opus foret, simul imperabat Præpositis, ut ad se quamprimum scriberent, an sibi quisque mandata curasset, ut scilicet hoc illis imperium curam acueret exequendi mandata. Cæterum etsi vltimas Orientis terras perlustrans, in barbararum gentiũ conuersionem incumberet totus; tamen immensa Oceani spatia remensus, socios fidei creditos identidem reuisebat, ratus sibi pro suo duplici munere patiendas esse curas, ut sic adesset alienis, ut non deesset suis. Singulari utiq. industria ac vir- tute perfecit, ut si spectes quantum Chri- sti cultum propagauerit, nullum spatium de Societate cogitandi habuisse; sin autem quantopere Societatis res curarit con- sideres, nihil aliud aut egisse, aut agere potuisse videatur.

*Solertè
exigit im-
perata.*

* *
*

E I N I S.

Dd 4.

IN